



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

3. Quomodò sit causa, quòd omnia opera nostra Deo placeant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

Gratia est causa remissionis siue iustificationis, 3.  
 est causa præmij operum iustificationum, & causa salu-  
 lutis æternæ. Causa iustificationis, ad Roman. 3. Iu-  
 stificati gratis gratia ipsius, id est, propter Christum,  
 vel ipso Deo miserante: & propriè gratia, id est, ipsa  
 Dei misericordia, iustificat & reputat iustum. Fides  
 dicitur iustificare, quia accipit (fasset) & sibi appli-  
 cat Gratiam, non autem in quantum est virtus in se.  
 Et sic omnes Theologi tribuunt Gratia iustificatio-  
 nem. Et tamen fides non est gratia, sicuti non est De-  
 us fides, neque Dei misericordia, sed virtus qua acci-  
 pitur Gratia, ideò dicitur iustificare, immò plures  
 mali habent fidem informem, sed non habent gra-  
 tiam: & Dæmones credunt, non tamen habent gra-  
 tiam. Iacob. 2. Et Ioannes Baptista habuit gratiam  
 in vtero matris. Lucæ primo, non tamen fidem actua-  
 lem. Deindè gratia causa est præmiorum pro nostris  
 operibus, id est, quòd Deus remunerat opera nostra,  
 sicut dicit Apostolus primæ Corinth. tertio. Vnus-  
 quisque mercedem accipiet secundùm suum labo-  
 rem. Et Matthæi 16. & 25. Hoc non oritur ab ope-  
 ribus nostris, sed à gratuita Dei voluntate, misericor-  
 dia & gratia, à qua oritur promissio præmiorum. I-  
 deò semper docuit Ecclesia, opera esse meritoria ex  
 gratia & misericordia, id est, Deum nobis nihil de-  
 bere, etiamsi omnia fecerimus, Lucæ XVII. attamen  
 quòd promissit præmium operibus, ibi causa est sua  
 misericordia & Christus, non in ipsa opera. Fide ac-  
 ceptat peccatorem, & personam iustificat: Deindè  
 & opera eius sunt grata & meritoria, sed ex gratia,  
 vt dictum est. Sic si quis calicem aquæ frigidæ dede-  
 rit habebit mercedem suam, Matthæi decimo. Po-  
 stemò, Gratia est causa vitæ æternæ & gloriæ, Ro-  
 man. 6. Gratia vel donum vita æterna. Nisi hæc Gra-  
 tia & misericordia à Christo esset impetrata, nemo  
 vnquam saluaretur: solus Christus illam meruit, &  
 nemo

nemo illam mereri potest. Quòd autem Deus compensat opera nostra vita æterna, & his præmijs quæ nec auris audiuit, &c. Esaia XLVI. gratuita est misericordia, non debitum, Et si ibi est aliquod debitum, hoc fundatur in promissione & verbo Dei, quoniam ipse promisit, & non in nostro opere operato. Ex gratia igitur sunt opera nostra meritoria gloriæ, non autem de condigno hoc merentur, sicuti mercenarius præmium suum.

S. Bernardus.

Sic inquit sanctus Bernardus sermone primo de annunciatione: Necessè est primò omnium credere, quòd remissionem peccatorum habere non poteris, nisi per indulgentiam Dei. Deindè, quòd nihil queas habere boni operis, nisi & hoc dederit ipse. Postremò, quòd vitam æternam nullis potes operibus promereri, nisi & gratis detur. Hoc docet Scriptura & Patres de Gratia.

Apertum igitur est mendacium, quo grauat Ecclèssa, quòd suis operibus operatis ex condigno velit mereri gloriam. Datur ergò Gratia gratis, non propter nostrum meritum, sed propter Christi meritum: & qui se agnoscunt peccatores, ac timent Dominum, illis exhibetur, ab ijsque tenetur, Postremò, causa est iustificationis, præmiationis bonorum operum, atque gloriæ æternæ. Hæc simplicissimè de Gratia notanda sunt.

## CAPVT X.

### ARGVMENTA.

1. *Quid faciat hominis opus bonum, eò quòd homo est peccator.*
2. *Ad quid Deus præcepit nobis facere opera bona.*
3. *Quod sit præmium operum bonorum.*

Christus